

ξὺν Θεῷ

DISQVISITIONUM OR-
GANICARUM VICESIMA SEXTA,
quæ est vicesimæ quintæ pars altera,

De

SYLLOGISMO
HYPOTHETICO,
SORITE, DILEMMATE,
ET VIOLENTO,

QUAM

Divinâ annuente gratiâ

In illustri ad Salam Academiâ,

P R Æ S I D E

Clarissimo & Excellentissimo VIRO

Dn. M. MICHAELE WOLFIO,
Philosoph. Natural. Professore publico.

καθδύνωμεν defendere conabitur

VALENTINUS BUTHNERUS, LIPSIENSIS.

Ad diem 14 Febr. Horis & loco consuetis.



J E N Æ


TYPIS BEITHMANNIANIS,
ANNO clō lōc xviii.

210/520-4

K60

114044





VIRIS

*Admodum Reverendis, Magnificis, Nobilissimis,
Amplissimis, & Consultissimis,*

**Dn. EUSTACHIO MÖL-
LERO J. U. D. Templi Cathedralis
Martisburgici Canonico, ejusdemque
Scholastico primario.**

**Dn. GOTOFREDO à Brandenstein/
Hereditario in Kulbâ, ibid. Canonico, & Sere-
nissimi Electoris Saxonici Consiliario
meritissimo.**

**Dn. CHRISTOPHORO BALTHASARO
à Brandenstein/ Canonico eodem in loco
Spectatissimo.**

*Dnn. Avunculo, Fautoribus, & Promotoribus
in studiorum suorum σύμβολον,
& observantiae τεκμήριον,*

D. D. D.

Respondens

*Valentinus Büthnerus,
Lipsiensis.*

Ad Ornatissimum
Dn. RESPONDENTEM.


PRæsïde WOLFFIADE, ingenii dùm industriam agò-
Explorare studes Organicò Sophies, (ne
Atque rudem formare animum rationis amussi,
Digna facis tantò Præsïde Teque facis.
Ultima respondent primis: felix data pausa est
Organo Aristotelis non sine Aristotele.

æq. ed.

M. Balthasar Gualtherus
Profess. publ.

Dum Logicen tractas, propulsans spicula falsa,
BÜTHNERE, insignis artibus ingenuis.
Laudo tuum cœptum, & tibi met majora reservo
Præmia laudis, ubi lemmata publica erunt.
Maçte bonis animi, & major, venientibus annis,
Faustiter in studiis ac pietate fuas.
Sentiet hoc anima ætherio super axe PARENTIS,
Cujus apud Misnos fama perennis erit.

M. Theophilus Ænetius,
Phys. Prof. publ.



Dr. JOHANNES KEISER


Die Kunst der Buchdruckerei
in Deutschland
von
Johannes Keiser
Herausgegeben von
Herrn Dr. Johann Keiser
in Anstalt

Die Buchdruckerei

Die Buchdruckerei
in Deutschland
von
Johannes Keiser
Herausgegeben von
Herrn Dr. Johann Keiser
in Anstalt

M. Theophilus Keiser
Phy. Prof.





M. MICHAELIS WOLFII,
Physices Profess. Publ.

DISQUISITIONUM ORGANICA-
RUM VICESIMA SEXTA, QUÆ EST
Vicesimæ quintæ ad l. 2. prior. Analyt.
PARS ALTERA,

De
SYLLOGISMO HY-
POTHETICO, SORITE, DILEM-
MATE, ET VIOLENTO.

Respondente
VALENTINO BUTHNERO, LIPSIENSI.

CONTINUATIO.

*Præcedenti disquisitione fieri non poterat, ut, quæ de aliis argumen-
tandi formulis adhuc essent reliqua, pertexeremus: nunc igitur, quid ea
sint, Colophonis loco dispiciemus.*

THEOREMA I.

Præter argumentationes superius recensitas datur
adhuc alia, quæ *Syllogismus hypotheticus* dicitur.

SECTIO I.

Q*ui organum Aristotelicum imperfectionis so-
lent accusare: illi argumentum quoque sumunt à Syllogis.
hypothetico, quem ab Aristotele omissum esse dicunt.
Etsi n. negari non potest, peculiarem ejus tractationem in Organo*

Ggg

nullam

362 nullam fuisse susceptam; sciendum tamen est, Philosopho omnino de illo constitisse, quemadmodum eundem ad Syllogismum διὰ δυνάμειν l. i. prior. Analyt. c. 23. refert. Causa autem, cur non opus fuerit simpliciter de eo in Logicis precipere, non planè nulla est, siquidem revera est Syllogismi imperfectio quadam, tantumq; concludit, quantum ad Categoricum accedit.

2. Quod negant Ramista, ut Slut. lib. Anat. Log. Peripat. c. 2. & 3. inquietes, multos dari Syllogismos compositos, eosq; optimos, qui tamen ad nullum Categoricum reduci possint: Unde colligunt, eos vi propriâ non alienâ concludere, ut cum sic concluditur: Si virtus est sequenda, vitium est fugiendum; At virtus est sequenda. E. vitium est fugiendum. Verùm libenter videre cupe-rem illum Syllogismum, qui hypotheticè concludit, nec tamen ad Categoricum reduci queat: quod enim modò allatum attinet, quid- ni Categoricè sic legitimè formabitur? Quodcunque est sequen- dum, illius contrarium est fugiendum: At virtus est sequen- da. E. virtutis contrarium, quod est vitium, est fugiendum.

3. Similiter Syllogismi isti hypothetici à Gocl. p. 4. probl. 66. propositi nullo negotio ad Categoricos revocari possunt: nam cum sic argumentatur: Si mortuorum resurrectio non est, Christus quoq; non est à mortuis excitatus; Nunc autem Christus est excitatus. E. Resurrectio mortuorum est. Item: Si ego fiam Cardinalis, tu fies Pontifex Romanus. At tu non fies Pontifex Romanus. E. Ego non fiam Cardinalis. Quæ causæ sur non præter fictionem reductionis (verba sunt Gocl.) reducantur hoc modo; Quicumque est excitatus à mortuis, illius datâ resurrectione, mortuorum quoque resurrectio statuenda est: Atqui Christus est à mortuis excitatus. Ergò Christi data resurrectione, mortuorum resurrectio statuenda est. Item: Quæcunque fieri debent uno & eodem tempore, illorum unum cum non fit, nec alterum futurum est. Atqui fieri debet uno & eodem tempore, ut ego fiam Cardinalis, & tu Pontifex Romanus. E. cum tu non fies Pontifex Romanus, nec ego Cardinalis fiam. Utrobique eadem est conclusio, quæ in prioribus, & quidem si dixerò majori cum evidentia concludendi, planè non mentiar.

4. Inquiet Gocl. majorem utriusq; Syllogismi hypothetici
δυναμειν

363
Duvōq; nunquam fuisse talem, qualis utraq; nostrorum Syllogismo-
rum Categoricalorum. Verū contrarium potius quod verum sit,
inde patet, quia quod major ista, si mortuorum non est resur-
rectio, nec Christus excitatus est, valet, causa est, quia nititur
hoc fundamento, negato genere, negantur ejus species, & datā spe-
cie, genus quoq; concedi necesse est, unde postea nostra major ex-
truebatur. Similiter quod major illa, si ego fiam Cardinalis, tu fies
Pontifex Romanus, valet, facit ratio ista, quæcunque debent
fieri eodem tempore, sive quorum neutrum sine altero fieri
potest, illorum unum cum sit, alterum fieri quoque oportet,
& contra, quæ suggererat nobis majorem.

5. Tantum ideog; abest, ut Syllogismus Hypotheticus ad Ca-
tegoricum reduci non possit, ut vel maximè opera sit danda, quo-
modo inter disputandum omnis statim, cum opus fuerit, reduci pos-
sit. Quoties enim sit, ut primo intuitu de connexionem majoris in Syl-
logismo hypothetico nulla, vel exigua sit dubitatio, ita ut parum
absit, quin in nassam Adversarii pertrahamur, quod sit amen Hy-
potheticus in Categoricalum commutatus fuerit, protinus animad-
vertere licet, ubi vitium hareat. Nam cum E. g. quis omnipresen-
tiam carnis Christi negans sic argumentatur: Si Christus est ubiq;
ubique est passus, mortuus, & sepultus. At posterior absurdum
est, E. & prius: tunc primū videri potest, quasi majoris
connexio sit firmissima, eam forsā ob rationem, quia ubiq; deno-
tat totum in loco, cui autem totum tribuitur, illi omnes partes tri-
bui necesse est; At si ratiocinationem istam hypothet. commutave-
ro in bancce: Quicumq; est ubique, ille cum patitur, &c. ubiq;
patitur; Atqui Christus est ubique. E. Christus ubique pati-
tur: ecquis non videt majorem ut falsam repudiandam esse?

6. Definitur autem Syllogismus Hypotheticus, cum vel am-
bæ præmissæ cum conclusione sunt compositæ, vel loco ma-
joris propositionis ponitur propositio composita, loco verò
minoris alterutra compositæ pars, & pars altera concludi-
tur. Sive ut Cæsar. tr. 16. Dialect. ait: Syllogismus hypotheticus
est, cujus propositio & plenum argumentum, & plenum item id,
de quo questio est, continet, ita, ut assumpto argumento, jam cer-
tum inferri possit, de quo questio erat.

7. Vocant eum Ramistæ compositum ob eam rationem, quæ An rectè
Ggg 2 loco dicatur syl-

364 loco majoris, propositio composita ponitur, sive, ut illi loquuntur, quia in majori propositione facta est composita questionis & argumenti tertii dispositio. Verum si hæc sufficiunt, ut Syllogismus hypotheticus mereatur dici compositus, pari quoque jure, & ni fallor meliori dicam eum esse simplicem, propterea, quia in conclusione & minore simplex dispositio cernitur, si saltem exceperis hypotheticum purum, quo de mox dicetur.

Qui Syllogismus fit compositus.

8. Rectius proinde Peripatetici illum Syllogismum vocant compositum, qui è duob. simplicibus compositus est, qualis ille, Dextra DEI est ubique; Christus sedet ad dexteram DEI. Ergo Christus est ubique. Potest enim forsitan non malè in hosce duos resolvi, quorum unus: Quicumque sedet ad dexteram DEI, is ubique est. Christus sedet ad dexteram DEI. E. Christus est ubique. Majoris probatio est, quia dextra DEI est ubique, unde Syllogismus alter, cujus dextera est ubique, ad illam cum aliquid sedet, ubique est, (aliàs non sederet ad dexteram ejus, aut dextra DEI ad certum locum alligata esset, cum tamen æquè alibi sit quàm hic) Atqui DEI dextera est ubique. E. Cum aliquid, ut Christus, ad illam sedet, ubique est. Sed hæc obiter.

9. Nec est, ut quis objiciat, quasi Syllogismus hypotheticus nomen suum à Peripateticis accepisset, propter majorem, quæ hypothetica est, vel disjuncta: Nam q̄ ita appellatur, ideò principaliter factum est, quia conclusionem cum certâ conditione è præmissis infert, V. G. quod hic Syllogismus, si homo est animal, sentit, Atqui homo est animal. E. sentit, hypotheticus dicitur, non tam factum est propter majorem propositionem, quàm quòd conclusionem, cum hac conditione, si homo est animal, infert.

THEOREMA II.

Cæterum prima divisione dispescitur Syllogismus hypoth. in purum & mistum.

SECTIO I.

Divisio syllog. hypothetic. Is, puta, purus est, in quo amba præmissæ cum conclusione sunt hypotheticæ, ut, si animal est, vivit, atqui si homo est, animal est. E. si homo est, vivit. His, puta, mistus, in quo loco majoris propositionis

sitio composita; loco verò minoris alterutra ejus pars ponitur & reliqua concluditur. 365

2. Et dividitur rursus in eum, qui est κατὰ μετάληψιν secundum transumptionem, & qui est κατὰ πρόσληψιν ἢ ποιότητα secundum assumptionem seu qualitatem, ut meminit Aristot. lib. 1. prior. Analyt. c. 30. Ille est, quando ex majore hypothet. transfertur terminus in minorem nullo prorsus novo addito, ut si homo animal est, vivit, at qui homo animal est. E. homo vivit.

3. Atque hic iterum duplex est, hypotheticus, specialiter sic dictus, sive ut aliàs vocant, conjunctus, & disjunctus. Ille majorem habet compositam, in quâ duæ simplices prop. per particulam, si, connectuntur: hic itidem majorem habet compositam, in quâ duæ simplices per particulam, aut, vel similem copulantur, ut aut dies est aut nox, at non est dies. E. nox est.

4. Addunt alii tertiam speciem puta Syllogis. copulativum, in quâ duæ simplices per conjunctionem, &, in majori sunt conjunctæ, ut homo & rationalis est, & docilis; at rationalis est. E. & docilis: verùm hic meritò rejiciendus est, quia revera cum simplici coincidit. Præterea, ut ait Cæsar. dict. 1. in omni Syllog. hypoth. semper ipsa conditio exprimitur vel subintelligitur, veluti in Syllogismo illo disjuncto, aut dies est aut nox &c. Conclusio cum hac conditione, si sc. dies non sit, infertur, quod hic locum non habet.

5. Porrò Syllogismus conjunctus iterum duplex est, vel enim in eo perfecta est concludendi ratio, vel imperfecta. Iste est, cum, sicut consequens sequitur ad antecedens, ita vicissim antecedens ad consequens, habet quæ quatuor modos. Vel n. 1. loco minoris ponitur majoris antecedens, & infertur consequens, ut: si Sol ortus, dies est. At Sol ortus. E. dies est. Vel 2. Consequens, ad concludendum antecedens, ut: Si Sol ortus, dies est; at dies est. Ergo Sol ortus. Vel 3. Eversio consequentis, ad evertendum antecedens, ut: si Sol ortus, dies est, at dies non est. E. Sol ortus non est. Vel 4. Eversio antecedentis, ad evertendum consequens, ut: si Sol ortus, dies est, at Sol non est ortus. E. dies non est. Hic v. est, cum quid. ad antecedens sequitur consequens; sed non vice versa, habet quæ duos tantum modos; vel n. 1. majoris antecedens ponitur, & infertur consequens, ut, si homo est, animal est. Sed homo est. E. animal est. vel 2. Eversio consequentis, ad evertendum

Conjunctus duplex est.

Ggg 3

dum

366 *dam antecedens, ut, si homo est, animal est; Atqui animal non est. E. homo non est.*

6. *Reprehendit Sluterus hanc Syllogismi hypothetici divisionem, inquit l. 6. Anal. Log. Perip. c. 3. th. 82. eam non concernere Syllogismum, quatenus Syllogismus est, hoc est, ratione forma, sed quatenus materiam talem vel non talem disponit. Quasi verò in doctrinâ de Syllogismo formaliter considerato nullus omnino respectus ad materiam habendus esset: Scire enim debebat, quod in Syllogismo formali non attendatur materia determinatè, puta vel necessaria vel contingens, benè tamen indeterminatè.*

7. *Similiter, quod ait th. 83. nullum novum præceptum importari, si ob propositionem necessariam & reciprocam, contra præceptorum normam Syllogismus, E. g. in 2. fig. è præmissis affirm. affirmativè veram conclusionem inferat, falsum est: nam cum ejusmodi Syllogismus valeat, quò non sciri debeat ratio, cur valeat, si quidem sæpè solet fieri, ut inter disputandum tales ratiocinationes occurrant, quas tamen simpliciter repudiare velle, inscitia Logicæ argumentum est. Quod tamen non ideò dicimus, quasi de omnibus, quæ ratione materia contingunt, tractatio in Logicis sit suscipienda: hoc enim, quoniam infinitis modis fieri potest, sufficit, si quorundam maxime necessariorum fiat mentio, quod ab Arist. & aliis meritò fuit observatum.*

8. *Quare, ut aliquid demus, concedimus duas tantùm esse formas minimè fallaces, una, quâ loco minoris ponitur antecedens & infertur consequens, ut si homo est, animal est, At homo est. E. altera, quando negato consequente tollitur antecedens, ut si homo est, animal est, Atqui animal non est. E. homo non est: interim & reliquæ non simpliciter sunt repudiandæ, eam potiss. ob causam, quia secundum illas non solum in Apodictis; verùm etiam in Topicis hypotheticæ argumentationes haud rarò conformari solent.*

Dif. quatuor habet species.

9. *Ceterum disjunctus quatuor habet species. Vel n. 1. loco minoris antecedens majoris ponitur & eversio consequentis concluditur, ut aut dies est aut nox, at dies est. E. nox non est: vel 2. Consequens majoris, & eversio antecedentis, ut, aut dies est, aut nox, at nox est. E. dies non est: Vel 3. eversio antecedentis ponitur, & consequens infertur, ut, aut dies est aut nox, at dies non est. E. nox est. Vel 4. eversio consequentis & antecedens, ut, aut dies aut nox, at*

at nox non est. E. dies. Ubi neminem lateat, per antecedens nihil aliud intelligi quam priorem partem propos. composita, sicuti e contra per consequens ejusd. posteriorem. 367

10. Sed dubia hinc adsunt duo, quorum unum, utra pars in Syllogismo disj. sit auferenda, & utra inferenda? Cui occurrere conatur Slut. in Anat. Log. Ram. l. 2. c. 15. ajens, illud non doceri artis praeceptis; sed ex ipsarum rerum natura cognoscendum esse. Verum quid sic? Annon hoc haberi potest ex conclusione probanda? Nam E. g. si alicui probandum esset, jam non esse noctem, profecto Syllogismo disjunctivo haud aliter procedi posset, quam sic, aut dies est aut nox, at dies est. E. nox non est, nisi aliàs sic argumentari vellet, aut dies est aut nox, at qui nox non est. E. nox non est, quod ἀσυνλόγητον & ineptum.

Duo dubia

Solut.

11. Alterum est, quomodo unum possit tolli, & alterum poni, si plura sint duobus media? Iterum resp. Slut. è suo Ramo d. l. tum ex multis partibus unam tolli, & reliquas omnes disjunctivè concludi, & si adhuc duabus plures, unam vicissim ex iis tollendam, & reliquas concludendas, donec tandem disjunctio ad duo membra redigatur. Est aliquid, fateor, sed longè compendiosius egeris, si similiter ad conclusionem respexeris: de hac enim, si certò constat, uno labore reliquae omnes tolluntur, quod sic patet. Probandum enim sit, Spiritum Sanctum esse tertiam personam Trinitatis, breviter sic ratiocinor: Spiritus Sanctus aut est prima aut secunda Trinitatis persona, at nec prima nec secunda est. Ergò tertia: ubi non opus ut alius syllogismus disj. fabricetur; sed statim ad probationem minoris me accingo.

12. Deniq; hypotheticus secundum assumptionem aut qualitatem est, in quo non transfertur idem terminus ex majore hypoth. in minorem Categoricalam; sed novus assumitur, & in conclusione quoque infertur, quàm de causa quoq; à Theophrasto appellatur hypotheticus secundum assumptionem, ut cum dico, qualis dominus, talis servus, at qui dominus est pessimus nequam. E. & servus pessimus est nequam. Item, ubi est cadaver, ibi congregantur aquila, at qui in agro extra urbem est cadaver. E. in agro extra urbem congregantur aquila. Primo intuitu haud videri poterant hypothetici; tales autem reverà esse, patet inde, quia vi propositionis hypotheticae concludunt: Cujusmodi sunt in propositis Syllogismis, si

Hypoth. secundum
ass. quid?

368 *mis, sic cadaver est, congregantur aquilæ; Item: si dominus nequam est, servus quoque nequam est. Cur verò Aristot. vocavit secundum qualitatem, ideò factum esse Pacius conjicit, C. 29. comm. in prior. Analyt. quia sunt per comparationem in aliquâ qualitate, quâ sæpè quodvis accidens significatur, sive illud jam sit à paribus, sive similibus, &c.*

Reductio
hypothet.
Syllog. ad
Categ.

13. *Ac quoniam supra dictum est hypotheticos Syllog. in tantum concludere, in quantum ad Categoricalos revocari queunt: opera erit pretium, nonnihil de eorum reductione differere. Et quidem cum primis de Syllog. hypoth. conjuncto & disjuncto: Hypotheticum enim purum, uti & illum, qui est secundum assumptionem, quod attinet, è cæteris judicari poterunt. Modus itaq; primus Conjuncti reducitur ad 1. Fig. modumq; Barbara & Darii. Secundus reducitur quidem ad 2. Fig. verum quoniam sic affirmative in ead. concluditur, alia adhuc opus est reductione puta ad primam. Tertius ad 2. Fig. modumq; Camestres vel Baroco. Quartus reducitur quid. ad 1. Figuram; verum sic minor negativa est, adeoq; adhuc opus est reductione ad secundam. Exempla petantur è superioribus.*

14. *Disjuncti modus primus reducitur ad 1. Figuram modumq; celarent, vel Ferio: Secundus ad 2. Fig. modumq; Cesare vel Festino. Cum duob. posterioribus comparatum est, ac cum secundo & quarto Syllog. conjuncti. Tertius enim reducitur quidem ad 1. Fig. hoc pacto, quandocunq; dies est, nox non est, At jam dies non est. E. nox est; verum cum minor revera sit negans, ut satis apparet ex ipso Syllog. Disjuncto, cujus minor consensu Logicorum habebatur pro negante: utiq; secundâ quasi adhuc reductione opus erit, puta ad 2. Figuram. Similiter quartus reducitur quid. ad eand. 2. Figuram; verum quia non nisi certo modo conclusio affirmans in secunda Fig. locum habet: ideò sic reducendus erit ad primam: quandocunq; dies est, nox non est, atqui jam dies est. E. nox non est. Aliter reductionem Crell. l. 3. p. C. c. 17. sub fin. instituit revocans utrumq; modum poster. ad 1. Figuram; sed cur nobis non placeat, jam dictum est.*

THEOREMA III.

Restat, ut aliquid de Sorite, Dilemmate & Violatione dicamus.

SECTIO I.

*Sorites, ut notum, nomen habet. Ὅτι ἔστω ἄρα ab acervo: quem-
admodum enim is è multis granis ita Sorites è multis propositioni-
bus colligitur. Is verò est ejusmodi argumentandi genus, in quo
prædicatum primæ propositionis fit subjectum secundæ, & sic con-
sequenter, donec tandem in conclusione subjectum primæ cum præ-
dicato ultimæ connectitur, ut Petrus est homo, homo est ani-
mal, animal est corpus vivens, corpus vivens est substantia;
E. Petrus est substantia.*

2. *Dividitur ratione qualitatis in affirmantem, qui affirmati-
vè, & negantem, qui negativè concludit. Uterq; autem pro fun-
damento habere videtur Regulam illam in Categ. Cap. 3. posi-
tam: quicquid est prædicatum prædicati, illud etiam est præ-
dicatum subjecti. Quapropter veluti illa suas habet limitationes,
ita & Sorites. Nam 1. In Sorite requiritur subordinatio potissi-
mum essentialis, unde non valet illud vulgatum, qui benè bibit,
benè dormit, qui benè dormit, non peccat; E. qui benè bibit non
peccat. 2. Causa per se non confundatur cum causa per acci-
dens, unde non valet, D E U S est causa hominis, homo est causa
peccati, peccatum est causâ damnationis. E. D E U S est causa
damnationis. 3. Non varietur suppositio, unde non valet, Pe-
trus est homo, homo est animal, animal est genus. E. Petrus est
genus. 4. Propositio particularis secundo vel tertio loco in
sorite non ponatur: unde non sequitur, homo est animal, ani-
mal est substantia, quædam substantia habet quatuor pedes; Ergò
homo habet quatuor pedes. 5. Non fiat commistio pro-
positionum affirmantium & negantium, unde non sequi-
tur, homo non est asinus, asinus est animal, animal est corpus vi-
vens. E. Homo non est corpus vivens.*

3. *Etsi verò Sorites, hisce præsertim restrictionibus non ob-
servatis, genus argumentandi existit captiosum, quo neq; Oratores,
neq; Philosophi vehementer delectantur: quoniam tamen nobis pro-
positum est perlustrare, quomodo & alia argumentandi genera ad
perfectionem Syllogismi accedant vel non: Sciendum est, Soritem
affirmantem ad primam; negantem verò ad secundam reduci, hoc
quidem pacto, si media inter primam propos. & ultimam conclu-
sionem interjecta in integros Syllogismos fuerint resoluta. Sic sorites*

H b b

hic,

Divis. Sor.
& ejus fun-
dament.Limitatio-
nes quædã.Reduct.
Soritæ.

370 hic, homo est animal, animal est corpus vivens, corpus vivens est substantia; E. homo est substantia, si sumatur conclusio, homo est substantia, cum hoc medio, quia est animal vel corpus vivens, reducitur ad 1. Fig hoc modo, animal vel corpus vivens est substantia, homo est animal. E. homo est substantia.

4. Dilemma est, quo duo (ut plurimum) sic collocantur, ut utring, capiatur & constringatur Adversarius: unde etiã nomen habet à δις & λαμβάνειν, quia in eo duo sumuntur, quorum utroq, pars adversa comprehenditur. Hinc Gellio dicitur Syllogis. cornut, eò quod Adversarium duobus quasi cornibus petere videatur, aliàs Crocodylinus per similitudinem: quia si Crocodylum sequaris, is te in Nilum abducit, sin fugias, is ipse te comprehendit, & interficit, quod similiter in Dilemmate contingit, veluti cum dico, si probus est, cur accusas? si improbus, cur ejus conversatione uteris? Item, cum Christus sic ratiocinatur, si benè locutus sum, cur vapulo? si malè, testificare.

Dilemm.
quando vi-
tiosum.

5. Tum autem vitiosum est Dilemma: 1. quando non est facta completa membrorum disjunctorum enumeratio. Unde nihil concludebat illud Biantis apud Gell. l. 5. Noct. Att. C. 11. sic procedentis, si pulchram uxorem duxeris, habebis κοινὴν communem, sin deformem, habebis ποινὴν pœnam. Datur enim adhuc certam, siquidem inter pulcherrimam fœminam & deformissimam media quædam forma est, quam Ennius vocavit itatani, sive ut Phavorinus non inscitè uxoriã, qua si que forent fœmine, eas ferè incolumi pudicitia esse. Præterea 2. & illud Dilemma inefficax est, cujus utrumq, membrum conceditur, tanquam id quod nos minimè la dat. Quale erat Phariseorum Matth. 22. Cap. interrogantium, an liceat Cesari censum dare; an non: Putabant enim, si prius asseretur, fore, ut Judais libertas, quã de Jure divino gaudebant, adimeretur; sin posterius, Christum rebellionis accusari posse, & sat causæ suppetere, cur è medio tolleretur. Verùm eis rectè occurrebat, inquiens: Date Cesari quæ sunt Cesaris, & DEO quæ sunt DEI, quasi diceret, Cesari date quæ Cesaris sunt, & non date Cesari, quæ sc. sunt ipsius DEI. Deniq, 3. inefficax est Dilemma, si inverti possit & in Adversarium retorqueri; quod vitium Gellius l. 10. Noct. Atticar. c. 16. vocat ἀντιστάσειον. Quale erat, cum aliquando decerneretur virum fortem premio,

371
premio, quod optaverit, debere donari: nam cum quidam fortiter fecisset, petiit alterius uxorem in matrimonium, & accepit. Is deinde, cui ea uxor fuerat, cum similiter fecisset fortiter, eandem repetiit hoc usus Dilemmate: Si placet Lex, redde; si non placet, redde. Verum ab illo converti potuisset hoc pacto: si placet Lex, non reddo, si non placet, non reddo.

5. E quibus videre est Dilemma nihil aliud esse quam Syllogismum hypoth. disjunctum, & quidem geminum. Nam disjuncta illa propositio vel duplex interrogatio equipollens disjuncte prop. loco majoris ponitur, deinde cum in utroq; Adversarius convincitur, perinde est ac si utramq; partem disjuncte prop. loco minoris ponerem, & deniq; concluderem, id est, jam quidem expositione antecedentis everisionem consequentis; jam vero ex everisione consequentis positionem Antecedentis.

6. Quod v. Slut. l. 6. An. Log. Perip. C. 3. ait, in Dilemmate utrumq; propositionis disjuncte membrum tolli, secus ac fiat in Syllogismo disjuncto: illud conceditur; sed eo nihil aliud efficitur quam in Dilemm. geminum Syllog. disjunctum reperiri; uti Crell. Isagog. Log. p. C. l. 3. C. 21. volebat.

7. Interim non diffitemur, nec nostrae obest assertioni, si dicatur Dilemma suo modo esse Syllogism. connexum duplicatum, si quidem facile fieri potest, ut in illum commutetur: an vero hac posterior reductionis ratio, puta Dilemmatis ad Syllog. conjunctum, faciliior sit & aptior, uti quidem opinatur Slut. d. l. th. 99. certe videre non valemus. Ut taceamus cum contradictione quadam sese implicare, quando th. 97. dixit: Dilemma ad Syllog. disjunctum revocari non posse; & postea subjungit th. 99. reductionem Dilemmatis ad Syll. conjunctum faciliorem esse. Hoc enim si verum est, quomodo Dilemmatis ad Syll. disjunct. reductio erit impossibilis? Aut forsitan comparatio duorum ratione unius tertii instituetur, in quo tamen nunquam conveniunt? Absurdum.

8. VIOLATIO deniq; seu retorho Gr. βίαιον violentum est, quo argumenta contra nos allata in Adversarium retorquemus, non secus ac sitelum ab hoste missum in ipsum convertamus, ut si quis nollet Philosophiae operam dare, quia futurus esset Theologus, ei sic obviam iri posset: imò quia futurus esset Theologus, omninò ei Philosophiae operam dare necesse esset.

H h 2

9 E 7

9. Est autem hæc argumentatio Rhetoricis magis, quàm Dialecticis usitata, nec videtur aliter à vitioso Dilemmate, quod Gellio ἀντιπέθετον sive reciprocum dicitur, distingui, quàm quod in illo semper enumeratio partium cernatur, in hoc verò non item. À cæteris quoq; argumentandi generibus tantùm abest, ut separari queat, ut etiam in illis omnibus reperiatur.

Ufus Viol.

10. Id quod vel inde manifestum esse potest, quia tum violatione contra adversarium utimur: I. quando rationes partis adversæ communes sunt, adeoq; ad opposita trahi possunt. II. quando antecedens veram consequentis causam non attingit, & III. quando omnes circumstantiæ hæud probè sunt inspectæ & persculturæ. Quæ omnia, quin in cæteris argumentationibus locum habeant, nulli prorsus dubitamus.

11. Atq; hæc dicta sunt de cæteris præter Syllogismum argumentandi formis: quod si quis de earum usu rogaverit, ei respondere possumus verbis Jod. Willich. lib. 2. Dial. sub finem, cum ait: est (puta argumentationum reliquarum) ut inventa argumenta ex locis in unam aliquam argumentandi formam reflectantur, atque juxta hanc, veluti Gnomonem & rationem dijudicentur. Quod si posteriores non satis in officio fuerint, ad Syllogismum redigantur, tanquam ad primariũ judicem, & non pedaneum. Is enim ad vivum, tam quæ à nobis, quàm quæ ab aliis inventa sunt, refecabit. Hæc ille non minus eleganter quàm erudite.

THEOREMA IV.

Unum adhuc quærere libet, an Syllogismus, Inductio, Exemplum &c. differant specie?

SECTIO I.

Pars affirm.

Qui affirmativam tuentur, his utuntur argumentis: 1. Quæ differunt definitione essentiali, specie differunt, at Syllogismus, Inductio &c. differunt definitione essentiali. E. Minorem probant è definitionibus dictarum argumentationum. 2. Argumentatio communi consensu dividitur in Syllogismum, Inductionem &c. quæ divisio cum non sit vocis æquivoca in sua significata (argumentatio enim significat naturam his omnibus communem) nec totius in suas partes

partes integrantes (utpote qua sunt enūnciationes, subjectum, & 373
predicatum) nec divisio accidentaria (siquidem argumentatio non
est accidens Syllogismi, inductionis, &c. sed essentialiter de illis
prædicatur) colligunt inde divisionem hanc esse totius universi sive
generis in suas species. 3. Syllogismus, Inductio, &c. differunt for-
mâ. E. & specie. Antecedens probatur, quia in Syllogismo sit ar-
gumentatio à toto ad partes; e contra in inductione à partibus ad
totum, in Exemplo à parte ad partem.

2. Verùm contraria sent. magis placet statuens genera argu- Negativa.
mentandi proposita non aliter distingui, quàm perfectum & imper-
fectum inter eandem speciem, sicuti vir & puer. Id quod inde pri-
mum patet, quia in tantum cetera concludunt, in quantum ad
Syllogismum reducuntur; Secundò, quia ubi vis processus est à
notiori ad ignotius, cui duntaxat variatio situs ipsius medi cum
extremis superadditur. Ex hac autem, si quis inferre vellet di-
stinctionem argumentationum specificam, utiq; Syllogismi 2. & 3.
Figurarum à Syllogismis. 1. Figura specie differrent, siquidem &
in illis alia est medi dispositio quàm in primâ.

3. Argumenta itaq; superius proposita quod attinet, respon- Sol. affirm.
demus ad primum negando minorem: ad probationem dicimus, ea-
rum definitionibus nihil aliud innui, quàm diversam ad invicem
habitudinem extremorum cum ipso medio, qua tamen essentielle
discrimen haud statim importat. Ad 2. respons. divisionem argu-
mentationis in tales species perinde comparatam esse, ac quâ homo
in marem & fœminam, puerum & virum, album & nigrum, do-
ctum & non doctum dividitur. Quod verò de illis argumentatio
essentialiter dicitur, causa est, quia si absolutè spectentur, essentia-
le eis est, ut ab uno ad aliud discurrendo procedant, non secus ac
mas & fœmina, albus & niger &c. absolutè considerata unam ha-
bent specificam naturam, quamvis postea alias recipiant definitio-
nes, quatenus homo sub natione maris vel fœmine, albi vel nigri
&c. consideratur. In 3. negamus antecedens: quod autem in
Syllog. à toto ad partes; in inductione contrario modo procedimus,
ex eo saltem externam dispositionem, non verò discrimen essentielle
inferre licet. Sic in secunda Fig. medium utrobq; consequitur,
e contra in tertia utrobq; antecedit, è quo tamen Syllogismorum in
his extructorum essentielle discrimen haud colliges.

H b b 3

8. In-

8. Interea minimè facimus cùm Slut. lib. 6. Anat. Log. Peripat. C. 3. th. 18. opinante, Enthymema nullam omninò materiam respicere. Etsi enim sese quodammodo ad contingentia & necessaria extendit, primò tamen ad demonstrationes non conducit, uti indicavimus disp. præced. theor. 6. sect. 2. quod discere poterat ex ipsa Enthymematis definitione ibid. recitata. Quod si objecerit forsitan, Enthymema dici omnem illam argumentationem, in quâ alterutra præmissarum saltem ponitur, respondeo; Vulgus quidem ita sentire; sed non illos, qui accuratè de Enthym. loquuntur. Præterea quod ait thes. ead. turpissimam committi contradictionem, quando Peripatetici Enthymema applicant materię contingentis & necessariae, ac simul docent in parte formali nullam materię respectum habendum esse: verum non est, siquidem, uti aliquoties significavimus, non agitur determinatè de hac vel illa materia, bene tamen indeterminatè. Et sic etiam definiri potuit ab Arist. Enthymema, quod constet ex verisimilibus & signis: quia ut sic non determinatè respicit materiam necessariam vel contingentem; sed indifferentè utramq;. Verum utut hæc sint, si largitus fuerò, hanc Enthymematis definitionem è Rhetoricis huc translata esse & principaliter de Enthymemate in prioribus Analyt. agi, quatenus ad Syllogismum reduci potest, minus nihilo ἀντίφασιν apparebit.

5. Ridendus autem potius est, dum thes. 89. & 90. ait, inductionem esse argumentum inventionis vel ejus affectionem distinguens inter vim concludendi ad inductionem accommodatam, & inter ipsam inductionem. Subtilis, meherclè distinctio; quasi verò hoc ipsum unquam latuisset Peripateticos, aliterq; hi ipsi inductionem in prior. Anal. considerassent, quàm quatenus est instrumentum ab uno ad aliud discurrendi. Inquiet fortasse hoc non esse inductionem? sed quâ ratione? Num ipsi plus fidei adhibendum est, quàm toti veterum technologia? Non putarim.

6. Atq; hæc ad priora Analytica stylo Scholastico potius quàm Oratorio aliquot συζητήσεις proponere placuit. Potuissimus sanè & alia de Syllogismis infinitis, reduplicativis, exceptivis, obliquis &c. attexere, quorum tamen naturam cum ex eorum terminis & propositionibus haud incommodè estimare liceat: pedem hinc figemus sub hac lege & conditione, quod animus sit accessum faciendi ad posteriora Analytica, si hunc nostrum laborem studiose Juventuti placere animadvertimus.

COROL.



C O R O L L A R I A.

I.

Urpe est, illam à quibusdam Literatis scientiam despectui duci, quæ tamen cæterorum Domina est & Regina, Metaphysicam autem sive Philosophiam primam volumus.

II.

Aquam magis frigidam esse, quàm humidam statuimus.

III.

Ignis Elementorum numero eximendus non est.

IV.

Elementa non minùs à se quàm animata moventur, sed non eod. modo.

V.

Gustus & in lingua & in palato residet, potissimum tamen in linguæ cuspide.

VI.

Oculi substantia magis naturam aquæ quàm ignis redolet.

VII.

Feles, Noctuæ, & Vespertiones quod nocturno tempore τὰ ὄρατὰ percipiunt, non probat visionem fieri per radiorum emissionem.

VIII. Ta-

K 60
Tactus quidem in corpore humano, etsi certum sibi non vindicat organum; in vola tamen ipsius manus acutissimus est.

IX.

Cur ejusdem magnitudinis lignum facilius genu frangatur, si quis æquè diductis manibus extrema comprehendens fregerit, quàm si juxta genu, & si terræ illud applicans superimposito pede manu longè diducta confregerit, quàm propè? An quia ibi quid. Centrum est; hîc vero pes? Quanto autem remotius à centro fuerit, facilius movetur quodcunque. *Arist. quest. mech. C. 14.*

X.

An vita solitaria præferenda conjugio?

XI.

An virginem potius; an viduam ducere conveniat?

XII.

Cum contrariorum contraria & eadem sit ratio, utiq; si verum,

Lis est cum forma magna pudicitia,

Ergò quoque verum erit,

Lis cum deformi est parva pudicitia.

FINIS Disputationum Tomi prioris ad
Organum Aristotelis.



ΣΥΝ ΘΕΩ
DISQVIVISIONUM OR-
GANICARUM VICESIMA SEXTA,
quæ est vicesimæ quintæ pars altera,

De
SYLLOGISMO
HYPOTHETICO,
SORITE, DILEMMATE,
ET VIOLENTO,

QUAM

Divinâ annuente gratiâ

In illustri ad Salam Academiâ,

PRÆSIDE


Clarissimo & Excellentissimo VIRO

Dn. M. MICHAELE WOLFIO,
Philosoph. Natural. Professore publico.

καθ'δύναμιν defendere conabitur

VALENTINUS BUTHNERUS, LIPSIENSIS.

Ad diem 14 Febr. Horis & loco consuetis.



J E N Æ

TYPIS BEITHMANNIANIS,
ANNO c15 15 c XVIII.

210/520-4

K60

Mdccc